

Alte Drucke

**COMMENTARIVS || IN EPISTO-||LAM DIVI PAVLI || APOSTOLI
AD || Ephesios,|| Scriptus ab || EGIDIO HVNNIO, S.
THEO-||logię Doctore & Professore in ...**

Hunnius, Aegidius

Frankfurt/Main, 1587/(1588)

VD16 ZV 27865

CAPVT V. ARGVMENTVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148399

scriptum est, 2. Corinth. 1. Qui confirmat nos vnâ vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, deditq; arram Spiritus in cordibus nostris. Quod aduersus Ethnicam doctrinam Pontificiorum de dubitatione notandum venit. Quorsum enim attinet, vt fidelis aliquis homo renatus, salutem suam in dubium vocet? cum eius rei certissimum sigillum acceperit Spiritum sanctum, qui obsignat corda illorum, vt certi sint de Dei paterno fauore, & ex fiducia filiali clamare ausint: Abba Pater, qui etiam Spiritus testimonium perhibet Spiritui illorum, quod sint Filij Dei: De cuius testimonio dubitare nefas est. Qui enim non credit ei, mendacem facit illum: quantum in se est.

Vigessimus sextus. Cuncta nostra dicta sunt attemperanda, vt adificemus alios, offendamus verò neminem. Qua de re vberiore tractationem audiemus capite quinto.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

IN tres partes hoc caput commodè diuiditur, Prima parte cœptam adhortationem persequitur, & quæuis Christianæ pietatis præcepta defugiendis flagitijs, colendis autem virtutibus quodam *συμφοριᾷ* accumulât. Deinde specialem regulam præscribit mulieribus fi-

dem Euangelij professis, quales erga maritos esse conueniat. Denique maritos sui in vxores officij commonefacit. Et vtramque specialem cohortationē insigni memorabiliq; exemplo Christi & Ecclesie confirmat simul & illustrat,

PRIMA PARS.

Sitis igitur imitatores Dei, &c.] Principium huius capitis pendet à sine precedenti. Dixerat, velint esse Christiani misericordes, condonantes sibi inuicem. Et exemplum loco suorum argumenti subdidit hoc: quemadmodum & Deus per Christum condonauit vobis. Hanc sententiam vnâ cum ratione subnexa Paulus vrgeri pergit, hoc sensu: Quia Deus Pater per Christum clementer vobis condonauit debita vestra: sitis ergo & vos vt in ceteris, sic & hac in parte imitatores Dei, tanquam filij, qui minimè degenerent à natura Patris, ideoq; verè dilecti.

Et ambuletis in dilectione, &c.] Quod in hypothesis de cōdonatione offensarum mutua submonuit, aliquantò latius, penè ad thesin, extendit, requirens, vt in dilectione ambulet, ambulandi voce metaphorica, vitam & conuersationem Christianorum in dilectione mutua ceu via sancta terendam innuens. Quemadmodum & Christus dilexit nos] Vt dilectionis sollicitum & accuratum studium persuaderet Ephesius, exemplum illud exemplorum omnium ante oculos eis statuit, ineffabilem videlicet amorem & charitatem, quâ

quā nos dilexerit Christus, Dei æternus Filius. Cuius in-
 tuitu ad similem dilectionem erga proximum inflam-
 memur. Et tradidit semetipsum pro nobis] In
 generali commendatione charitatis Christi in nos non
 acquiescit Paulus, sed opus ipsum, quo immensam diui-
 ne sue charitatis vim explicarit Filius Dei, notanter
 exprimendum est ratus, vt pondus adderet cohortatio-
 ni. In eo igitur enituisse mirabiliter amorem Christi de-
 clarat, quod ipse, Dei Filius existens, non dubitauit se-
 metipsum tradere pro nobis, vt videlicet à serui-
 tute peccati, dominio mortis, tyrannide Diaboli, male-
 dictione legis, & cruciatibus æterna condemnationis
 assertos cælo inferret. Idq; adeo per corporis proprii sui
 sacrificium, offerendo se oblationem & victi-
 mam Deo Patri in odorem bonæ fragrantix,
 quibus simul continetur amplificatio operis ex Christi
 charitate profecti ab effectu & salutari fine: & mors
 Christi figurato sermone describitur. Nominatur obla-
 tio, victima scilicet illius magna, qua per reliquas o-
 mnes olim adumbrata fuit. Dicitur per *ὁδὸς ποτὶ*
θεοῦ odor bonæ fragrantix, hoc est, victima Deo
 grata. Nam cum Dominus acceptauit sacrificium Noë,
 odoratus scribitur odorem suauitatis, phrasi Hebræa
 & metaphora ab hominibus deducta, qui reficiuntur
 fragrantia odorum: seu potius à fragrantissimi odoris
 thymiamate, quod in Templo consuevit adoleri.

Cæterum scortatio & omnis immunditia,
 &c.] Vitia enumerat, à quibus immunem esse deceat

vitam Christianorum. Et primo loco scortationem Ethnicis (inter quos vivebant Ephesi) sic familiarem, ut vix pro peccato agnoscerent. Deinde omnem immundiciam cum sexto precepto pugnantem. Tertid avaritiam: qua homo suis qua habet, non contentus subinde aliena appetit. Hec peccata ita vult e congregatione fidelium esse exterminata, ut ne nominentur quidem: ratione ab honesto addita: Sicut decet Sanctos. Vos sancti estis, sanctitate Christi donati per fidem, & Spiritu Dei sanctificati. Ergo decet vos sancte casteq; vivere, neq; opus illud Dei in vobis corporum turpitudinis cœno immergere.

Aut obscenitas, &c.] Vitia nonnulla taxat, qua lingua committi solent. Obscenitas, quando proferuntur inhonesta seu turpia, qua natura ipsa vult silentio regi. Stultiloquium de rebus nauci, quibus nihil inest salis prudentie Christiana. Scurrilitas, per quam iocos illiberales, & à gravitate Sanctorum alienos intelligit. Rationem addit à Repugnantibus: Quæ non conveniunt, inquit. Porro tribus intemperantis lingua vitis opponit gratiarum actionem erga Deum, qua loco illius fœda obscenitatis, stultiloquij, scurrilitatisq; apud homines Deo & Christo sacros regnare debeat. Nam hoc scitis, quod omnis scortator &c.] Ratione à pernicioso, ceu fulmine, deterret à memoratis flagitijs. Et ad ipsorummet testimonium prouocans: Scitis, ait, ex Verbo Dei, quod omnis scortator, nullo excepto, omnis item, qui quacumq;
ratione

ratione vagis & inconcessis libidinibus immundus est, aut auarus, qui est simulacrorum cultor, Dei loco colens Mammona: Nullus, inquam, horum, quamdiu sine poenitentia his peccatis est deditus, habet hereditatem seu partem in regno Christi & Dei. Hoc ne vel durius vel *ἄλλοιως* dictū crederetur, anticipat Ephestiorum cogitationes ac dicit: Ne quisquam vos decipiat inanibus sermonibus, quasi Deus peccatis hisce tantoperè non irascatur, sicut solent nonnulli inanibus sermonibus aduersum has verbi diuini comminationes se solari & cor suum obfirmare in peccandi proposito. Vos ne patiamini profanis huiusmodi sermonibus ceu spe vana vos lactari. Quin certò statuere, propter hæc venire solere iram Dei temporali & eterna maledictione grauidam, super filios inobedientiæ seu contumaciæ. Proinde ne sitis consortes huius incredulitatis & profana securitatis illorum: ne simul & pœnarum participes efficiamini.

Eratis enim quondam tenebræ] Contentione pristini status sub Ethnica superstitione, & eius, in quem nunc per agnitionem Domini nostri Iesu Christi collocati sunt, acuit suæ exhortationis stimulos. Quasi dicat: Meminisse decet, qui olim fueritis, qui nunc sitis. Olim, cum hac eadem vana persuasione essetis demerati, quid eratis? Tenebræ, toti immersi tristissimis lethifera ignorantia tenebris. Itaq; mirum non est, vos tum temporis peccata ex vestra æstimasse ignorantia, eaq; extenuasse. At verò iam ex terribili caligine

mortis in clarissimam agnitionis Dei lucem educti, & lux in Domino facti, aliter profectò de his statuere debetis: aliter etiam ambulare, non vt filij tenebrarum, sed vt filii lucis, in operibus & fructibus non carnis, sed Spiritus: qui fructus Spiritus consistunt in omni bonitate, iustitia & veritate, quibus nihil est commercij cum enumeratis peccatis: ideoq; nec coniungere illa cum his tentetis. Probate autem, non quid mundo vel carni, sed quid Domino acceptum sit. Et ne commercium habete cum operibus infrugiferis tenebrarum, hoc est, cum peccatis, quæ & tenebrarum sunt opera, quia lucem Euangelicam fugiunt ac reformidant, & infrugifera sunt, quibus nec Deo seruitur, nec proximo. Quin vsq; adeò non decet vos volutari in isto peccatorum luto, vt potius ea palam arguere teneamini, ne silentio vel dissimulatione approbare, aut certè non magnopere improbare videamini. Itaq; liberè exponite, quid de his sentiatis, vt atrocitate illorum ostensa deterreatis etiam alios. Nam quæ in occulto ac sine arbitris (vt sibi persuadent) impiè committunt, ita sunt comparata, vt honestè ne verbis quidem efferriqueant, nedum vt factò piè designari possint.

Sed omnia dum produntur à luce, manifesta fiunt.] His fructū illius correctionis ostendit: subinnuens, fore si ita redarguant flagitiosam hominum conuersationem, vt à luce veritatis quasi suæ propriæ conscientie proditi & manifestati, in seipsos descendant,

dant, & turpitudine exacta vita agnita, ac vicissim
 vestra sancta conuersatione perspecta, ipsi quoque lux fi-
 ant in Domino, & resipiscant. Quapropter dicitur
 Expergiscere, qui dormis, & surge à mortuis,
 & illucescet tibi Christus] Allegat Apostolus ex ve-
 teri Testamento testimonium de gentiliū conuersio-
 ne ex peccatorum morte & tenebris. Ceterum hæc
 sententia totidem verbis apud nullum Prophetam le-
 gitur. Summa verò extat Esaia 60. in illustri vaticini-
 o de vocatione gentium, cum in Spiritu sancto sic
 concionatur Esaias: Surge, illuminare, quia venit lux
 tua, & gloria Domini super te orta est. Ecce enim
 tenebra operiunt terram, & caligo populos: super te
 autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.
 Et ambulabunt gentes in lumine tuo, &c. Hæc Pau-
 lus breuibus ita reddit, vt simul Paraphrasten seu in-
 terpretem agat. Et quidem vterque agit de gentibus,
 & earum ex morte & exitiali somno peccatorum re-
 surrectione. Quod autem Esaias de luce habet, qua
 oriatur super nouam Hierosolymam, & in qua gen-
 tes ambulent: id Apostolus de CHRISTO di-
 rectè interpretatur, tanquam eo, qui est lux vera
 illuminans omnem hominem venientem in hunc
 mundum, per Euangelij predicationem gentibus
 tanquam Sol iustitiæ illucescens.

Videte igitur quomodo circumspectè,
 &c.] Illatio est ex prioribus, hunc habens sensum:

Quia

*Quia ex filijs tenebrarum facti estis filij lucis: videte & date operã, vt circumspectè porro ambuletis: non vt insipientes Ethnici, qui coram Deo stulti sunt, or-
bati notitia Dei, vacui timore Dei, qui est initium sapientie, & stolidissimè deligentes sibi huius mundi ludicra præ æternis bonis. Ne vos sic ambuletis, sed vt sapientes, imbuti cognitione salutari Dei & Christi, prouidi & circumspecti, ne sempiterna hæreditate cælesti excidant. Redimentes occasionem siue tempus, quòd dies mali sint, hoc est, operam enixe dantes, ne tempus istius paternæ visitationis negligatis, aut occasiones optatas seruiendi Deo & proximo oscitanter prætermittatis. Has occasiones redimere debetis, & studiosè illas captare, captatas benè collocare, præsertim cum dies mali sint, & Satanas hoc vnice agat, vt impedimenta obijciat, tum pietatem ipsam, tum pietatis exercitia in extremum vitæ actum differendi, vbi frustra deinde captatur occasio, quæ cum æterno detrimento prius fuerat neglecta. Quod cum sic habeat, ne vos sitis imprudentes more filiorum huius sæculi, sed intelligentes, quæ sit voluntas Domini, vt secundum illius præscriptum viuere ne cunctemini.*

Et ne inebriemini vino, &c.] Præter enumerata peccata, quæ ceu obstacula Satan obijcit benè collocandæ occasionis siue temporis, est etiam Ebrietas. Hanc summo conatu ceu præsentem animarum pestem fugite. Siquidem non solum per se est peccatum, quod homini exitium æternum accelerat, verum etiam ingentem

gentem aliorum peccatorum cumulum secum trahit. Est in vino ἀσωτία, luxus & intemperantia, vt ad nullum non peccatum prouocet, accendat & inflammet hominis animum. Tenendum autem Apostolum vino non per se, sed per accidens tribuere ἀσωτίαν. Per se est creatum ad cor hominis honestè recreandum. *Psal. 104.* Cùm autem immodicè hauritur, fit causa malorum per accidens: ita vt non tam vino, quod per se est bona Dei creatura, quàm abusui vini hoc tribuatur. Sed impleamini] Ebrietati, quæ ex vini abusu oritur, aliam saluarem Deoq; gratam spiritulem ebrietatem opponit, nimirum vt Spiritu sancto & fide pleni & quasi spiritualiter ebrj, verbum Dei libenter tractent, versent & meditentur, ita vt hæc spiritualis lætitia non dubitet se proferre in Psalmos, Hymnos, & cantiones spirituales. De quibus inquit, loquamini vobismetipsis, seu inter vos, siue quando conuenitis in publicis Ecclesiæ cœtibus, siue cùm priuatim in domibus vestris agitis.

Canentes ac psallentes in corde vestro Domino] Non pudeat vos decantare Psalmos, præcipuè Davidis & aliorum sanctorum, nec non hymnos laudis, & gratiarum actionis: cantionesq; spirituales, siue ea ad institutionem in doctrina, siue ad exhortationem, siue ad consolationem, siue gratiarum actionem pro collatis humano generi beneficijs sint directæ. Eæ verò decantetis non sola lingua, sed in corde vestro, ex deuoto

deuoto & ardente pectore. Gratiarum agentes] Hic fit
vestra cantionis scopus, hic finis, ut Deus collaudetur!
ut de vniuersis, quae benefecit nobis illi agantur gratiae,
idq; in nomine Domini nostri Iesu Christi, tan-
quam eius, per quem Deus bonitatis suae torrentem ad
nos derivatum voluit.

LOCI COMMUNES.

Primus. Christianos debere esse imitatores Dei,
tanquam filios ipsius, ut emulentur paternam ipsius
dilectionem, vnitatem, aequanimitatem, misericordiam
sanctitatem & iustitiam. Nam etsi perfectionem illam
infinitam creature nulli datur assequi: tamen imagi-
nem Dei in filiis ipsius aliquo modo resurgere concedet;
ut Christus in suis concionibus haud raro ad illud ex-
emplū Dei Patris cœlestis suos discipulos respicere iubet,
quod suos inde formet mores, & in enumeratis virtuti-
bus se pie exerceant: precipue verò in cōdonandis erra-
tis proximi, sicut ex Matthæo cap. 5. 6. & 18 est euident.

Secundus. Hinc etiā augusta fidelium dignitas elu-
cet, quod Filij Dei appellatur, & quidē dilecti filij. Ma-
gnū est nominari filium principis terreni: maius verò &
incōparabiliter sublimius Dei Filios vocari. Quā digni-
tatem Christo acceptā feramus, qui potest: ē hanc de-
dit Filios Dei fieri cūctis, qui credidissent in nomē illius,
qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate viri, neq; ex
voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Miremur igitur
& suspiciamus hac in parte beneficium Dei & Christi.
Sicut Ioannes facit cū admiratione scribes. videte, qua-
lem

Ioan. 1.

lem

lem charitatē dederit nobis Pater, & Filij Dei nomine-
mur: propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit
eum. Charissimi, nūc filij Dei sumus, & nondū apparuit
id, quod futuri sumus: scimus autē, quod si apparuerit,
similes ei erimus, quia uidebimus eū sicuti est. 1. Ioan. 3.

Tertius. De summa perfectissimaq; dilectione
Christi, qua nos est complexus, ut non dubitaret se pro
nobis in mortem tradere. Hanc ipse Christus celebrat,
ad Apostolos suos dicens: Maiorem hac dilectionem ne-
mo habet, ut quis animā suā ponat pro amicis, Ioan. 15.
Et Diuus Apostolus Paulus eā commendatiorem illam
reddat, quod mortuum pro nobis memorat, cum essemus
adhuc inimici, ut moriendo nos sibi Patriq; reconci-
liaret, & ex inimicis amicos faceret, Rom. 5.

Quartus. Hac porro charitas Christi nobis exemplo
fit ad diligendum nos mutuo. Sicut ad hanc doctrinam
Paulus non obscure accommodat exemplum diuinae ipsius
dilectionis. Christus ipse velut in speculo nō ad ociosam
contemplationē, sed ad praxin & imitationē id propo-
nit, Ioan. 13. Præceptum nouum do vobis, ut diligatis vos
mutuo, sicut ego dilexi vos. Quod penē totidem verbis
repetitum probe inculcat discipulis, Ioan. 15.

QVINTVS. DE PASSIONE

Domini nostri Iesu Christi.

Petitur hac doctrina ex verbis: Christus dilexit
nos, & tradidit SEMETIPSV pro no-
bis. De hoc articulo nobis cum Sacramentarijs
non per omnia conuenit. Videamus primò, quæ sit
scriptura.

scriptura hac de re sententia. Perspicuum testimonium largitur nobis textus hic praesens, quo dicitur: Christus tradidit SEMETIPSUM pro nobis. Quis ille Christus? Nimirum Deus & Homo. Ergo nequaquam passus est homo nudus, sicut impie sensit Nestorius, dicens:

Ipsē λó- Noli gloriari Iudae, non Deum, sed hominem crucifixi. Sed ipsemet Dei Filius passus est verē & realiter. *Dos*, seu Alias haud dum essemus redempti, nisi Filius Dei ipse Filius Dei passus & crucifixus esset. In hoc totius scripturae cardo vertitur. Et in ipso capite libri, ut Psalmista verbum utat, hoc scriptum & repetitum extat: videlicet, Deum vni-
 Ioan. 3. genitū Filium suum dedisse pro nobis in mortē: proprio
 Rom. 8. Filio non pepercisse, sed pro nobis omnibus tradidisse il-
 Rom. 5. lum, nos Deo reconciliatos esse per mortē Filij eius. Au-
 Act. 3. torem vitæ esse intersectum: Dominum gloriae crucifi-
 1. Cor. 2. xum, & Dei sanguine redemptam Ecclesiam. Et il-
 Act. 20. lud Pauli ad Galat. 2. quod cum praesentibus ipsius ver-
 bis pulchrē congruit: vitā, quam nunc vivo, vivo in fide
 Filij Dei, qui (Filius Dei) dilexit me, & tradidit semet-
 ipsum pro me. Quibus omnibus scriptura sacra nobis
 simul declarat, quantum sit hoc mysterium pietatis,
 quā inenarrabilis κοινωία inter Filium Dei &
 Humanam ipsius naturam. Nisi enim Dei Filius semet-
 ipsum totum communicasset assumptae Naturae, & hac
 sui ipsius communicatione carnem sibi personaliter
 fecisset propriam: de nihilo essent haec omnia. Iam verò
 cum sempiterna sit veritas, quòd ipse Deus, Filius Dei,
 dux vitæ, gloriæq; Dominus crucifixus & mortuus sit,
 cumq;

etiamque, requirat omnino hoc nostra redemptionis extrema necessitas: palam fit, periculose errare Caluinistas, qui Naturarum κοινωνίαν negant, & hoc ipso Deum passum esse re & facto abnegant. Quid enim passio carnis ad λόγον: si talis tantum inter Naturas in Christo sit vnio, vt λόγος nihil omnium, quod suum est, assumpta carne re ipsa communicet? ed quod illa omnia, qua λόγος sunt, infinita sint, & proinde Carni ἀκοινωνήτῃ? Sic ne seipsum quidem adhuc ei communicasset verè, quia & ipse est infinitus, & vt in precedentibus etiam est dictum, qui omnipotentiam & Maiestatem λόγος subtrahit assumpta Natura, is subtrahit simul hypostasin ipsius.

Nudus autem ille prae textus vnionis ab impietatis crimine non liberabit aduersarios, nisi vnionem eam aliter, quam haecenus, descriperint. Vnio enim nihil aliud est Caluinianis, quam quod caro sustentetur in Deo Verbo. Iuxta haec Bremensium: sustentari carnem in Deo Verbo NIHIL EST ALIUD, quam vnitam esse Verbo personaliter. Qua in re Diuum Augustinum haudquaquam, vt gloriantur, sibi ἐμὸ ἴνφον habent. Qui carnis in Deo Verbo subsistentiam personalem sic descripsit, vt carnem inde MAIESTATE DEITATIS GLORIFICATAM, & Christo secundum id, quod homo est, OMNEM POTESTATEM in caelo & in terra collatam, & Carnem Dominicam propter hoc ipsum, quia Deitati vnita sit, ad-

Da randam

Grab p. 57.

raudam esse sonora voce contestetur. Scholasticos autem illos Sophistas, quos Lutherus scribit propositionem (Homo est Deus) per hanc explicasse glossam: Filius Dei, QVI SVSTENTAT Humanam naturam, est Deus, & à subiecto propositionis (Homo) seclusisse Christi Humanitatem: non negamus habere Bremenses hac in parte sue impietatis socios. Num autem, obsecro te, hac sustentatio in Deo Verbo præstat, ut passio carnis sit reali $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\varsigma$ Dei ipsius passio? præsertim si sic describas hanc in Verbo sustentationem, ut præter localem suam existentiam, caro Christi nullam propriam aliam inde acquirat? Neque quicquam diuina Maiestatis: sed tantum dona finita & creatitia, qua ad constituendam hypostaticam unionem non faciunt quicquam. Hinc adeo factum, ut Zuinglius non obsecrè in hoc doctrina capite salutis fundamentum euerterit, de quo Lutherus in Confessione Maiore sic scribit: In primis autem Zuinglius posthac omni responso indignus est, nisi reuocet suam illam blasphemam alleosin. Nam ut vulgò dicitur: manifestum mendacium nulla eget confutatione. Sic is tanquam apertus hereticus vitandus est, qui manifestum articulum fidei negat. Atqui Zuinglius non solum negat summum illum maximumque necessarium articulum, quod Dei Filius pro nobis sit mortuus, sed eundem blasphematur in super, & heresim esse dicit, præ omnibus, quæ vnquam fuerint, maxime detestandam. Nimirum eò improbitatis sua ipsum ducit opinio & damnata alleosis, quod Personam Christi

Christi soluit, & nullum nobis relinquit Christum
 alium præter nudum hominem, qui pro nobis mortuus,
 nos redemerit, &c. Hinc fit, vt Bremenses tanquam
 Eutychianum rejiciant, cum dicitur à nobis: Non sola
 Humanitas, sed ipse Dei Filius pro nobis passus est, pag.
 70. Nos contra manifeste testamur & profitemur, eam
 propositionem (sola Humanitas est passa) verè Nesto-
 rianam & hereticam esse. Persona quidem passa est se-
 eundum SOLAM Naturam humanam, eam verò sibi
 personali $\chi\omicron\upsilon\iota\omega\upsilon\iota\varsigma$ factam planè propriam. Vbi pati Non sola
 sic statuitur esse solius Humanitatis proprietas, vt ni- patitur
 hilominus Persona, cuius hæc Humanitas personali v Humani-
 tione propria est, neutrquam à passione excludatur. Si tas, etiã
 autem quis Humanitatem solam pati dicat, excludit passibilis
 assumentem personam. Siquidem Humanitas non Perso sit solius
 ne, sed natura vox est, cui adiecta Exclusiua particula Humani-
 (sola) à passionis societate arcet, quicquid non est Hu- tatis idio-
 munitas illa Christi. ma.

Et Spiritum virginis prodit Grab, quòd nunc istam
 propositionem Anhaltinorum (sola Humanitas est
 passa) tuetur, ac pro ea tanquam pro aris & focis de-
 pugnat. Infra autem, cum eandem per crimen falsi
 mihi tribuisset (mutato scilicet malitiosè masculino Pag. 162.
 genere, quo Personam designaueram, in femininum,
 quod Naturam notaret) mox damnationis fulmen Spiritus
 expediens inclamauit, sequi, vt sic non Deus natus, pas- virginis
 sus, crucifixus, &c. sit. Iam verò adèd acriter illam pro- in Bremē-
 positionem defendit, vt oppositam negatiuam (non se- sibus.

D d 2

la Hu-

la Humanitas est passa, sed ob realem κοινωσίαν Naturarum passus ipse filius Dei) tanquam Eutychia-
nam damnet.

Sycophanta porro officio fungitur, & non viri boni, quod aliquoties mihi per detestandum mendacium impingit, me statuere, Diuinitatem Christi esse passam. Quod ego nunquam scripsi, nunquam dixi, nunquam cogitavi. ΔΕΥ Μ ΛΟΓΟΥ, Dominumq; gloria, filium Dei REALISSIME passum confiteor, propter REALISSIMAM κοινωσίαν, qua se Carni communicat: impassibili interim in omnem eternitatem permanente Natura Deitatis ipsius. Ex quo notorio mendacio liquet, hominem vnā cum conscientia & pudorem exuisse.

Sicut autem Deitatem impassibilem dico: Sic cūm Caro patitur, ob realem Naturarum κοινωσίαν, ipsum quoq; ΛΟΓΟΥ passum (iuxta hanc scilicet proprijsi-
vnam Carnem, non autem iuxta Deitatem) quisquis negat, eum fundamentum salutis labefactare certum est. Et hoc non obscure per Bremenses molitur Sata-
nas. Huc enim spectat Zuingliana hac alleoſis, qua

Grab „ legitur pagina 72. his verbis: Neque distinctionem tra-
ΛΟΓΟΥ, „ dit (Petrus) ad ostendendum, quod pati ΔΟΓΩ
seu (quod seu Natura diuina, non quidem ex proprietate natura-
idem est) li, sed ex vnione realiter proueniat. Qua verba testan-
tium Dei tur, Grabium sentire, pati aequē non realiter proue-
passum nire ΛΟΓΟΥ ex vnione, ac diuina Natura seu Deitati.
negat: Coniungit

Coniungit enim hac. Nos respondemus, Diuinitati, si abstracte intelligas, nec ex proprietate Naturali, nec ex vnione prouenire, vt patiatur: τὸν λόγον autem PROVENIRE hoc ex vnione, vt ipsemet λόγος verè & realissimè patiatur, nequaquam verò secundum Deitatem in eternum immutabilem permanentem, sed secundum carnem suam. Quæ videri oculis non poterat, quin Ioanne teste λόγος ipse cerneretur, 1. Ioan. 1. manibus palpari Caro non poterat, quin ipsemet λόγος attreretur manibus, crucifigi non poterat, quin ipsemet λόγος, gloria Dominus & æterna vita dux & autor, crucifigeretur: non quidem in proprietate Deitatis, sed in proprietate humanitatis. Idq; propter ineffabilem, admirandam, ipsisq; Angelis cælorum suspiciendam & adorandam κοινωσίαν intimam atq; summam, quæ se huic carni planè totum deuinxit, hoc est, se totum illi proprium fecit, se totum inenarrabiliter ei communicauit.

Hanc communicationem quia non credit Grab, mirum non est, quòd cum Patre suo Nestorio sentit, tam non prouenire τὸν λόγον ex vnione, vt verè & realiter patiatur, quàm nec diuinæ naturæ hoc proueniat. Hoc si verum est, sequitur λόγον non esse passum. Si λόγος passus non est, sequitur nec filium Dei passum, quia λόγος est filius Dei simplicissimè, sine distinctione vlla vel reali vel rationali. Atq; sic falsum

erit quod hic ad Ephesios suos scribit Apostolus: Christum, hoc est, λόγον, Deum & hominem, SEMET-IPSUM tradidisse pro nobis. Item, Filium Dei (qui nullus alius est, quam λόγος) esse pro nobis in mortem traditum, Dominumq; gloria crucifixum.

Quoniam autem Græb ceu contradictionem mihi obicit, quod dico, non solam passam esse Humanitatem, ac nihilominus affirmo, filium Dei in mortem traditum secundum solam Humanitatem: placet ei hunc scrupulum (si ferre potest æquo animo) eximere.

Sola Hum. Quam ad rem sumam explicandas duas has propositiones, quarum prior est: Sola humanitas est passa. Altera: Solius Humanitatis proprietas est pati. De his Orthodoxi nequaquam pariter censent aut statuunt. *passi.* Et: Posterior enim vera est: prior falsa & Nestoriana. *Solius Hu-* Verissimum est: Solius Humanitatis hanc esse proprietatem, ut sit passibilis. Ergone propterea inferre licebit, SOLAM Humanitatem pati? Minimè gentium. *ra:* Sicut enim passibilem esse, proprietatem designat, quæ Christi humanitas in ipsa vnione manens à λόγῳ naturaliter distincta significatur: Sic vicissim, cum queritur: quid sit illud, quod patiatum ac moriatur? Num sola passibilis & mortalis Natura patiatum atq; moriatur, an verò persona, cuius hæc mortalis Natura personali consortio est propria? ibi tota scriptura clamat: Nequaquam pati humanam Naturam solam, sed pati personam λόγον secundum Naturam passibilem. Ideoq; damnatum dogma est, quod propugnæ

Græb,

Grab, sic cum Patriarcha suo Nestorio & Zuinglio do. pag. 72.
 cens: Quamobrem apostoli mens non est, ubi dicit, Chr-
 stum passum esse Carne, Diuinitatem passam esse, &
 quod hac re alio idiomatum communicatio sit (hac no-
 bis affingit Grab) Neque distinctiuam tradit ad osten-
 dendum: quod pati λόγος seu natura Diuina, non qui-
 dem ex proprietate naturali, sed ex vnione realiter
 proueniat: quasi non SIMPLICITER sit SO-
 LIVS Humanitatis, etiam IN IPSA VNIONE.

Non ouum ouo tam simile, atque hoc Pezelij &
 Grabij dogma cum Zuingliana Alieosi. Dicunt enim
 expresse, pati esse simpliciter SOLIVS Humanitatis
 etiam in ipsa vnione. Si addidissent: esse solius Humani-
 tatis PROPRIETATEM, excusabile fuisset. Quia
 verò ipsum pati in vnione simpliciter dicunt solius esse
 Humanitatis, excusari possunt minimè.

A sententia huc usque explicata, qua Deum & λόγος
 ipsummer secundum passibilem suam humanitatē pas-
 sum ostendi: nihil dissident Tubingenses. Qui si Diui-
 nitatem SVO MODO passionis factam participem
 tradunt, in persona hoc intelligunt. Haud aliter ac
 Ioannes λόγος ipsum apostolorum oculis conspectum
 asserens, non dubitat abstracta voce id ipsum exprime-
 re, quando VITAM eternam (hoc est, λόγος) ma-
 nifestatam & VISAM memorat. Quo pacto etiam
 VITA in ligno mortua orthodoxè predicatur in hym-
 no. In quam sententiam Diuus Lutherus quoque scribit,

Dd 4 cuius

cuius hæc sunt verba: Si fortè ratio objiciat, quòd Diuinitas nec pati nec mori possit, tu vicissim responde: verum hoc quidem est. Sed tamen quia Diuinitas & humanitas vna sunt persona: idèd scriptura propter vnitatem istam personalem etiam Diuinitati adscribit omnia, quæ Humanitati competunt, & e contra. Et quidem in veritate res ita habet. Hactenus Lutherus. Diuinitati adscribi dicit Lutherus, quia in hac passione Deitas quoq; suas peragebat partes, non solum sustentando carnem, ne tantæ moli succumberet, sed in super premium & pondus largiendo passioni, vt protius Humani generis reconciliatione, perfectissimum esset λόγος. Et satis exposuerunt mentem suam Tubingenses, ex Antiquitate citantes illud: Deitas patitur IMPASSIBILITER. Vbi Aduerbium (impassibiliter) ostendit in Deitatis Naturam nulla ratione penetrare passibilitatem illam, ac nihilominus id, quod in hac passione præstantissimū est, Deitati acceptū fertur, vt videlicet passio vergeret ad redemptionem mundi. Quoniam si passa esset Humana natura Deitate vacua, nihil fecisset hæc passio ad reconciliandum Deo homines. Quoniā autem patitur ac moritur Christus iuxta eam Naturam, in qua σπουδατικὸς omnis plenitudo Deitatis inhabitat: hinc adeò valet ad arduum illud opus redemptionis Christi passio. Quia scilicet vita æterna λόγος & ipse passionem & mortem subit, non in Natura Diuina, vt sensit Eramistes, quem frustra mihi Grab objicit, sed in sua carne propria. Cuius carnis & sanguis

sanguinis tam verè particeps factus est, quàm fratres ipsius, Hebr. 2. Si verò propter hanc doctrinam Tubingensibus litem veluerit Grab intendere, cur non etiam rixatur cum Vigilio, qui DEITATEM clauis confixam in passione scribit, sed ita rursum explicat, vt indiuisibilem atq; impenetrabilem mansisse addat. Quo modo & Lutherus, quem per latus Tubingensium configere tentant Bremenses, suam mentem exposuit. Neque hac in parte sibi defuerunt Tubingenses, nisi quod apud duos istos Syc. Pezelium & Grabium, nulla valet explicatio quantumuis clara, diserta & perspicua. Atque sic in planissima Petri explicatione acquiescimus, Christus passus est carne. Qua longè, longè plura dixit & intellexit Petrus, quàm hi, qui SOLAM Humanitatem Christi passam scriptitant, & patine ex vnione quidem prouenire λόγῳ affirmare audent.

Quando autem largimur, Deitatem esse impassibilem: non licet aduersariorum more protinus concludere, similitudine Christi Humanitati realiter non communicatam esse omnipotentiam, &c. Nam & Patres viderunt, discrimen ingens hic esse, propter Naturarum diuersitatem. Quare imbecillitatem carnis Deitati quidem non tradi consentitur, vicissim autem Humanam Domini carnem omnino participem factam tradunt DEITATIS. Quod Bremenses de sola, sola sustentatione in λόγῳ intelligunt, per quam Caro assumpta accipiat localem tantum existentiam, accipiat dona creaticia: Infinitorum autem, cuiusmodi & Dei-

tas λόγος est, simpliciter nullam fieri potuisse Humanam Domini Carni communicationem contendunt.
 Pag. 97. Vnde nata illa vox execranda: Omnipotentiam sic semper esse idioma Deitatis, ut planè nulla ratione realiter VLLI natura creata conueniat. Omnipotentia verò & Deitatis (idem cùm sint) parem esse rationem videt quisq;. Ideoq; contra sententiam Basilij in suo corde negant, humanam Domini carnem participem factam esse Deitatis.

Animaduertit idem discrimen Gregorius Nyssenus, qui Deum λόγον quidem nunquam per communionem, quam habet ad corpus & animam, alterari scribit, neq; participem factum esse imperfectionis eorum, (scilicet in Natura immutabilis Deitatis) tradere autem corpori & anima DIVINITATIS SVAE VIRTUTEM.

Et Eusebius libro 4. cap. 14. qui refert, verbum ex seipso SV A communicare homini, non vicissim ex natura mortali, ea quæ ipsius sunt in se recipere, & DIVINAM quidem VIRTUTEM mortali subministrare, non autem vicissim ad consortium mortalitatis Naturam Verbi detrabi.

Cyrillus item, qui scribit, vnitum Humanitati λόγον non proiecisse, quod fuerit, transformasse autem magis assumptam Naturam in SVAM GLORIAM & operationem.

Similiter Augustinus, asserens, Iniuria sui corporis affectans

effectam non dici Deitatem. Sicut MAIESTATIS
DEITATIS glorificatam nouimus Carnem.

Ad quæ testimonia eludenda nihil inuenit Grab, Pag. 82.
præter misellum id, quod ipso verborum sono atq; sensu
clarissimo refutatur, dum hac de effectis diuina Natu-
ra in carne intelligenda FIDELIS scilicet Patrum
interpretis fingit, hoc est, de donis illis creatiis & fini-
tis. Ergo Deitas, cuius participem factam Humanam
Domini carnem Basilias meminit, erit effectus Deita-
tis, hoc est, finita creataq; $\chi\epsilon\lambda\omicron\mu\alpha\tau\epsilon$. Si Diuinita-
tis VIRTUS erit effectum quoddam Deitatis, crea-
torum donorum mensura circumscriptum. Sic gloria
& operatio ipsius $\lambda\omicron\gamma\gamma$, in quam transformatam
Cyrillus affirmat assumptam Naturam, erit Grabio
effectum Deitatis, id est, Gloria æterni $\lambda\omicron\gamma\gamma$ nihil
aliud erit, quàm dona creata & finita. Sic Maiestas
Deitatis, qua Augustinus glorificatam nouit carnem,
erit effectum quoddam siue creatum. Apagesis, homo
odiosissime, cum notorijs corruptelis tuis, quibus contra
conscientiæ testimonium dicta Patrum deprauas, &
aduersus veritatis solem loqui non dubitas, ex odio Di-
uina Maiestatis & gloriæ Domini nostri Iesu Christi,
qui tibi iustissimo Dei iudicio in petram scandali & la-
pidem offensionis versus est. Et hæc quidem de isto loco
communi. Progrediamur ad reliquos.

Sextus. Notandum passionem Christi nomina-
ri oblationem, qua Christus seipsum Deo Patri victi-

inquit

nam obtulerit. Hinc enim de sacerdotali munere, quo sanctus est Christus in terris, edocemur: quod veteris Testamenti typis & figuris sacrificiorum fuit adumbratum. Plurimum autem Christi victimam à Leviticis illis differre, autor Epistole ad Hebræos ex professo docet. Nam victima veteris Testamenti non potuerunt secundum conscientiam purificare hominem, nec expiare coram Deo peccata. Erant enim instituta tantum, ut populus de vetera victima Pontificis magni

Heb. 9. Iesu Christi admoneretur. Christus autem per sanguinem non hircorum ac vitulorum, sed proprium (qui Dei sanguis est) ingressus semel in sancta, aeternam redemptionem inuenit. Non potuit enim non summè placere cœlesti Patri hoc sacrificium, quo filius SE IPSUM obtulit. Ideoq; odoratus hinc Pater (ut scriptura phrasi utar) odorem bonæ fragrantia, vi huius sacrificij Christi, remittit peccata omnibus, qui in nomen illius credunt: quippe cuius victima dignitate & merito, infinitæ sue iustitiæ ad plenum est satisfactum. Quæ etiam hostia sufficit abundè ad totius mundi peccata oblitteranda, 1. Ioan. 2. Ut opus nobis haudquaquam sit sacrificij illius sub consummationem seculorum SEMEL præstiti reiteratione quadam incruenta sub theatra Pontificiorum Romanensium Missa. Nam quia CRVENTVM longè sufficientissimum est λύτρον pro vniuersi humani generis peccatis: quorsum opus nobis incruento, cui propiciatio adscribatur pro peccatis viuorum & mortuorum? in contumeliam scilicet illius vni-

ci sacri-

et sacrificij cruenti, in cruce pro nobis semel præstiti. Sicut Epistola ad Hebraeos discrimen inter Leuitica, & Christi in hoc constituit, quod illa propter imperfectionem crebra reiteratione eguerint, hoc verò inminuere.

Septimus. De vitanda scortatione, à qua tan-
topere vult abhorreere Christianos, vt ne quidem ea no-
minetur inter illos, cum eiusmodi sit peccatum, quo
pollutus homo Deum non videbit, Hebræ. 12. Scortatio-
ne peccat homo in propriū suum corpus, facit ex mem-
bris Christi scortorum membra, 1. Corinth. 6. ex templo
Spiritus sancti fœdissimam Satana cloacam. Scortatio
aufert cor, Osee 4. Qui sectatur illam, non habent par-
tem in Dei regno, 1. Corinth. 6. Galat. 5. Apocal. 21.

Octauus. De auaritia, quam similiter ne no-
minari quidem vult inter Christianos. Hæc eò longius
absit à pio pectore, quoniā Apostolus auaros idololatriæ
& simulacrorum cultoribus accenset, qui deserto vero
Deo alienum iam colant, videlicet Mammona, & pe-
cunia supplicent, Syrac. 31. & Iob 31.

Nonus. Deum esse osorem omnis immundicie.
Ideo hæc vult Paulus e Christianismi finibus extermi-
natam. Cui consentiens Esaias, in Messia regno non fo-
re immundis locum vaticinatur, cap. 52. Proinde qui
commercium vult habere cum Deo & Christo, sit pu-
rus, sicut & ipse purus est. Si quis expurgarit seipsum,
erit vas in honorem sanctificatum, accommodum vsi-
bus Domini. Mundemus ergo nos ab omni inquina-
mento carnis ac spiritus, perficientes sanctimoniam
cum

cum

cum timore Dei. Quod fit, quando sanguine Filij Dei ab omni peccato emundati posthac nos mundos seruire studuerimus. Atq; sic licebit Deum videre, iuxta illud Christi. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. 5. Licebit cum illo habere societatem eternam, Psalmo 15.

Decimus, De coërcenda lingua, ne vel obscenitate cordis impietatem prodatur (ex abundantia quippe cordis os loquitur) vel multiloquio ineptiat, vel in proteruam scurrilitatem soluatur. Hec eo studiosius caueant fideles, quod huiusmodi sermones non sunt grati ille sibilus Spiritus sancti, quo aguntur pii, sed potius manifestum indicium dominij Satanae. Cogitemus autem, de quolibet ocioso verbo reddendam rationem in die iudicij, Matth. 12. Petamus ergo cum Syracide hanc nobis à Deo concedi gratiam, ut possimus os & linguam nostram coërcere & velut annulo signare & claudere, ne quid indignum vel indecorum proloquatur, Syr. 23.

Vndecimus. De peccatis illis aduersus animam militantibus & conscientiam vastantibus longè aliter censere & iudicare Spiritum sanctum, quàm filios huius seculi, qui ea quoad possunt, extenuant, dicentes, esse humane fragilitatis errata, Deum non tam grauius ipsis irasci, ut propter illa velit homines in gehennam proiectos, esse prolapsos etiam sanctos Dei homines, Lothum, Dauidem, &c. nec tamen reiectos penitus. Gratiam enim Dei inducere & obliterare omnia haec peccata, &c. Hi sunt inanes illi sermones, quibus

quibus non vult Paulus decipi Christianos. Verum quod sancti homines prolapsi recepti sunt, quod Christi meritum absorbet hominum peccata: id nil quicquam attinget impoenitentes homines, qui in Dei misericordiam illam ex proposito peccant. In hos enim sententiam longè aliam ipse Dei Spiritus enunciat: quod videlicet his peccatis dediti partem non habeant in regno Dei & Christi.

Duodecimus. Multoties esse ad memoriam reuocandem statum pristina sub iugo peccati & Sathanae seruitutis ac miseria: vt maiore cura posthac declinemus ignobilem & tristem illam seruitutem, memores, nos inde redemptos non corruptibili auro & argento, sed precioso sanguine velut agni immaculati & incontaminati Christi. *1. Pet. 1.* Quemadmodum Petrus Christianis hoc probè inculcat, satis est, inquiens, quod antea cō vita tempore voluntatem gentium patrauerimus, cum versaremur in lasciujs, concupiscentijs, vinolentijs, comessationibus, compotationibus, & nefarijs simulacrorum cultibus, *1. Pet. 4.*

Decimustertius. Quia non renati dicuntur tenebrae, contra libertatem arbitrij id obseruandum venit. Et si enim in externis mansit aliqua lux, discrimen illud honestorum & turpium: tamen respectu caelestium mysteriorum, quae in Euangelio reuelantur, homines non regenerati tenebrae dicuntur à Paulo, vt & ab Euangelista Ioanne, cap. 1. Mundus quippe in *1. Cor. 1.* sua sapientia non cognoscit Dei sapientiam: & ani- & 2.
malis

malis homo non intelligit, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter iudicatur. Tandem igitur intolerabilior est eorum hominum audacia, qui cum in terrenis etiam rebus intellectu suo cacutiāt, nihilominus ad abnegandum mysteria Dei de Maiestate Domini Iesu Christi secundum assumptam naturam, & de ipsius in cœna reali presentia audacissimè prorumpunt, non aliter ac si Dei potentiam ad staterā seu trutinam vocatam penitissimè perspectam habeant, quidnam salua veritate sue carnis præstare possit, quid secus.

Decimusquattus. Quia post acceptam cognitionē Domini nostri Iesu Christi lux sumus in Domino: huc omnem nostrum conatum conuertamus, ne præclara illa lux in nobis denuò obruatur peccatorum tenebris, sed tanquam filij lucis ambulemus in luce, probantes quid sit acceptum Domino, nec commercium habeamus cum infrugiferis operibus tenebrarum. Hec enim est annunciatio, quam audiuius ab illo, quod Deus lux est & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus, quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Quod si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus inter nos mutuam, & sanguis IESU CHRISTI Filij eius emundat nos ab omni peccato; 1. Ioh. 1.

Decimusquintus. Admonentur Christiani, ne peccent spe impunitatis, aut quod post latibula occultoi

cultos se fore sperent: sicut gentes secretò faciebant talia, quæ vel dictu vel factu erant turpia, omniaq; recte habere putabant, quando designari posse putabant scelera sua, remotis arbitris. Verum enimvero certò statuamus, Deum conscium esse omnium actionum, dictorum & gressuum nostrorum, Psal. 139. Qui vt vindice oculo suo intuetur hominum flagitia, sic ea in conspectum atq; lucem proferet, siue id fiat in seculo hoc, siue in nouissimo die. Siquidem Christo affirmante nihil tam occultum est, quod non reuelabitur, Matth. 10. Idèò diuina Maiestatis horrendum iudicium non effugient, qui haud reueriti præsentiam illius peccant securi. Qua de re vide Psal. 10. & 94. Iob. 24. Esa. 29. Syr. 23.

Decimus sextus. De fructu salutarium commotionum, quibus redarguuntur hominum peccata. Per quas Spiritus sanctus efficax est, vt homines non plane stupidi è tenebris peccatorum haud raro euigilent & illuminentur. Pudefacti quippe correptionibus piorum, tanguntur penituntine scelerum, & resipiscunt è diaboli laqueis. Idèò Thessalonicenses monet Apostolus, vt ne commercium habeant cum eo qui inordinatè viuatur, 2. Thes. 3. vt pudore suffundatur, neque tamen velut inimicum illum habeant, sed admoneant vt fratrem. Quod certò opus est longè saluberrimū, à Iacobo etiam nobis commendatum cum scribit: Fratres, si quis inter vos errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, sciat, quòd qui conueriti fecerit peccatorem ab errore via sue, sal-

uam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Danda tamen opera, vt hæ correctiones tempestiuè suscipiantur. Sæpe enim expedit homines illutores non corripere, vt Salomon Prouerb. 9. & Syracides 21. testantur.

Decimus septimus. De prudentia Christianorum, quæ in eo potissimum est sita, vt circûspectè ambulent, non velut insipientes in via peccatorum, Psal. 1. sed vt sapientes, in Dei timore tanquam sapientiæ fonte & initio, ne forè impingant & cadant: cum valde lubrica sit via & prolapsus facilimus propter imbecillitatem carnis, conatum Satana, & exempla mûdi, quæ offendiculi sunt plenissima. Itaq; cum prudentes esse deceat, incongruum erit amplecti voluptates huius sæculi, vel circa terrena sic occupatum esse, vt iacturam facias æternorum bonorum, quæ summa stoliditas & stultitia foret. Quin potius exemplo prudentum virginum lampades nostras habeamus adornatas, & sic ambulemus, vt coram Deo nos ambulare nunquam non reputemus. Quo pacto coram Domino ambularunt circûspectè tanquam sapientes, sancti Patriarchæ. Hæc prudentia minuet in nobis & expellet desiderium peccandi. Quemadmodum filius coram patre, discipulus coram Præceptore, subditus in conspectu Magistratus sui absonum quid committere reformidat. Verum in eo etiam consistit pars non minima Christiana huius prudentiæ, vt tempus redimamus, eò quod dies mali sint. Nam quia versamur in mundo, qui, scripturæ
teste,

reſte, in maligno eſt poſitus, & varia nobis obſciun-
tur impedimenta, quibus nos Satanas è ſtadijs officiij
noſtri cogitat tranſuerſos rapere: neq; interim ſcimus,
quis nobis ſit peregrinationis noſtræ conſtitutus termi-
nus: etiam atq; etiam videamus, vt tempus gratiæ bene
collocemus, & dum tempus habemus (vt Gal. 6. hor-
tatur Spiritus ſanctus) operemur bonum: ne fortè oc-
caſione & tempore paternæ viſitationis neglecto fru-
ſtra id poſtea requiramus. Quod Iudæis accidiffe ſalua-
tor teſtis & author eſt. Imò impijs omnibus hoc uſu ve-
nire Solomon prouerb. 1. docet.

Decimus octauus. De fugienda ebrietate, qua
ἀσωτία comitem trahit. Eſt ebrietas per ſe eiufmo-
di peccatum, quod operibus carnis annumeratur, 1. Co-
rinth. 6. Gal. 5. Itaq; ſi vel ſola eſſet, neque cum vlllo
alio peccato coniuncta: exitialis eſſet. Iam verò quan-
tò vitanda magis, poſtquam tot peſtes, tot furias habet
ſocias? Nam quia vinum cor auſert, iuxta Propheti-
cum illud Oſeæ: palàm eſt, nihil rectè geri, vel admi-
niſtrari poſſe ab hominibus vino & ebrietati deditis.
Ideò Salomon non dubitat pronunciare, vinum eſſi- Prouer. 20.
cere homines leues & feros. Quin facit vinum reges
obliuiſci iuſtitia, Prouerbior. 31. Vinum ad neſan-
das libidines accendit cor hominis, Genef. 19. Prouerb.
23. Rixis & cadibus vniuerſa miſcet, Prouerb. 23.
& Syracid. 32. Ebrietas eſt multarum execratio-
num blaſphemiarumque origo. Trahit quoque ſe-
cum indiuiduum comitem paupertatem, Prouerb. 21.

Syr. 19. Adeoq; nullum est peccatū tam atrox, nullum scelus tam grande, nullum flagitium tam fœdū, quod non perpetrare ausit ebrietas. Pareamus ergo monitori nostro Paulo: Ne inebriemini vino, in quo est αὐτοῦ τὸ α. Non negligamus illud Dei fulmen, quod in ebriosos per Esaiā torquet, ca. 5. Memores simus dicti Christi; cauete ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, subitoq; vobis ingruat dies ille, etc. Luc. 21.

Decimus nonus. Sicut opera danda Christianis, ut vino se non inebrient: sic eò precibus suis laborent, ut impleantur Spiritu sancto. Quemadmodum de Apostolis legitur, repletos illos esse Spiritu sancto in die Pentecostes, ut loquerentur linguis nouis, & publicè magnalia Dei enarrarent. Ita si agimur Spiritu Dei, non pudebit & nos libenter ex verbo Domini loqui de rebus fidem & pietatem attinentibus: Secundum Apostoli commonescationem, quæ extat, Colof. 3. Sermo Christi inhabitet in vobis opulenti, cum omni sapientia. Si quis autem se frigidum hac in re deprehendat, oret Deum, ut Spiritu ipsius impleatur, & inflammetur ad verbi diuini castissimum amorem. Quem Spiritum suum dabit Dominus penitentibus eum, Luc. 11.

Vigésimus. De exercitijs simul pietatis ex hac pericope admonemur, inter quæ est decantatio Psalmorū, Hymnorū & Cantionum spiritualium. Cuius rei excipius fuit artifex Psalter ille regius, suauis in Psalmis Israël, qui seipsum subinde excitat ad laudes Dei non tantum recitandas, verum etiam decantandas, non solum

2. Sam. 23.

solum priuatim, sed etiam in Ecclesia magna. Et quasi
 voti loco promittit, velle se laudare Dominum in vita sua, Psal. 114.
 & psallere Deo suo, quam diu vixerit. Hec sunt saluta- & 146.
 ria illa exercitia, quibus hominis Spiritus excitatur ad
 ardentem deuotionem, & ad solidam pietatem edifi-
 catur. Quo pacto sancti Dei homines psalmos compone-
 re & decantare minimè erubuerunt, vt præter Dau-
 id de Mose, Debora, Anna Samuelis matre, Eliseo, Hif-
 kia, Zacharia, Maria & alijs legitur in sacris literis.
 Curandum autem, ne in lingua videatur nata nostra Esa. 29.
 cantatio. Ne idem de nobis dicatur, quod de Iudeis: Hic
 populus labijs & lingua sua appropinquit mihi, cor au-
 tē eius longè est. Sed sit harmonia quedam inter affectū
 cordis, cantionem oris, totiusq; vita nostra rationes. Si
 enim ore decantemus laudes Dei, & absit affectus cor-
 dis, dissonet ac discordet vita: Grauis & insuauis dis-
 sonantia in Dei & Angelorū auribus oboritur, nec placere
 potest talis cultus, iuxta illud: peccatori autem dixit
 Deus: quare tu enarras iustitias meas? &c.

Vigessimus primus. Gratias agere iubet Paulus
 Deo de omnibus. Ergo discamus non solum laudare Do-
 minum rebus secundis, sed etiam super immixtis, aduer-
 sitatibus illi gratias agere, quippe quas ad electorū suo-
 rum salutem dirigit. Hoc didicerat Iobus, qui percepto
 nuncio de fatalibus calamitatibus horrendis, præcipue
 de liberorum interitu: in hanc Spiritus fideiq; plenam
 vocem erupit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit no-
 men Domini benedictum. Sic David quoq; cum gratia-

rum actione meminit arumnarum suarum, Psal. 119.
Bonum est mihi, quodd castigasti me, vt discerem iustifi-
cationes tuas.

SECUNDA PARS.

A generali cohortatione, ad omnes ex aequo Christia-
nos directā, descendit Paulus ad speciales, quas distincte
ad diuersi ordinis & cōditionis homines dirigit. Et pro-
mittit hāc regulā: Subditi vicissim alius alij cum
timore. Quā mox in species spargit: Vxores proprijs
viris subditæ sint. Subiectionis vocabulo requirens in
rebus honestis ac licitis obsequiū cum debita reuerentia
coniunctū. Rationes addit tres. Prima inest verbis: ve-
lut Domino: subindicās, obedientiā hanc Deo presta-
ri, si præstetur maritis, eandemq; Deo negari, si mari-
tis negetur: vt translatione obsequij in personam nobi-
liorem exuscitet Christianas mulieres, ne recusent de-
bita subiectione se maritis submittere. Secunda ratio
cōtinetur sub his verbis: Quoniā vir est caput vxo-

i. Corin. 11. ris. Maritū ratione potestatis & eminentiæ caput vxoris
nominat. Maritus enim primò conditus est, non mulier.

2. Tim. 2. Nec vir propter mulierē est creatus, sed mulier propter
virum. Nec vir primò peccauit, sed mulier, sicut has ra-
tiones Apostolus alibi annotat. Ergo pia femina propter
ordinationē istam diuinam haud grauātē se maritorum
potestati subiiciant. Hanc porrò rationē exemplo illu-
strat, & hinc tertiā rationē instituti sui insert. Quē-
admodū, inquit, & Christus est caput Ecclesiæ
(quod quomodo accipiendum sit, in 1. & 4. cap. explica-

tione

tionem dictum est) Et idē est, qui dat salutē corpori. Sicut enim ex capite vigor quidā deriuatur in totū corpus: sic in corpus Ecclesia natura in peccatis mortuū, vitā quidā vigor defluit ex capite Christo, qui Ecclesiā passionis suae merito à morte peccatorū redemptā efficaciter viuificat, regenerat, fouet & saluat. Sic vult mulier meminere, se sua quoq; habere à marito tanquā capite bona, videlicet protectionē ab iniusta vi, alimentū, victū & alia: vt equiore animo illi pareat. Itaq; quemadmodum Ecclesia subdita est Christo, &c.] Tertia ratio infertur ab exemplo subiectionis Ecclesiae, quae spōso caelesti suo subdita est in omnibus. Hinc concludit, uxores in hoc illustre exemplū intuentes, merito pari ratione suis, quibus fidem dedere, maritis obsequi debere, & quidem in omnibus, quae saluo suo erga Deum supremo obsequio praestare possunt.

LOCI COMMVNES.

Primus. Deo nō placere ἀνταρχίαν, vbi nullus subfit alteri: sed ita ordinasse, vt alius alij pro conditione cuiusq; subfit cū timore. Hic ordo siturbetur: neq; Ecclesia ciuitas, nec respub. nec domus vlla stare potest. Ergo tanquā rebelles & perturbatores diuini ordinis merito detestandi sunt, qui superioribus parere renuunt.

Secundus. De officio mulierum, quae pietatem profitentur. Id verò est, vt maritos suos diligāt, eosq; colant & reuereantur, cum omni subiectione. Neq; subiectionem istam sibi ducant dedecori, sed potius laudi. Faciunt enim quod Spiritus sanctus praecipit, quod lex

Ec 4 Dei

Dei sancit, quod ordo in Natura constitutus postulat; quod professionem pietatis in ipsis ornat, quod in christum exemplum Ecclesia, cuius ipsa quoque membra sunt, submonet. Et hoc pacto se veras Sara filias declarant, si subiectionem laudatissima eius femina emulentur.

1. Pet. 3. In qua spiritus sanctus hoc egregie predicat, quod vera animi humilitate Abrahamum maritum suum appellavit Dominum. E contra quæ dominium sibi in vivos vendicant, hæc peccant in Dominum, violant sancti præceptum eius, perturbant Dei & Naturæ ordinem, & dum cupiunt se hoc modo extollere, deiciuntur à suo gradu. Quod famosum exemplum reginæ Vasthi in libro Esther comprobatur.

Tertius. De dignitate sexus virilis. Paulus virum caput mulieris ob rationes in textus enarratione notat vocat. Quod 1. Corinth. ii. repetit. Quæ dignitas non eo pertinet, ut viri fastu quodam adversus uxores suas inflati tyrannicè eas tractent, sed potius ut tanquam vitæ omniumque rerum socias in participationem istius honoris venire reputent. Fulget quippe maritus radijs vxor, ut à sole suum accipit luna lumen. Proinde Christi exemplo humaniter illam tractandam fovendamque meminerint, sicut tertia parte hac de re dicitur.

Quartus. Quod Christus caput Ecclesiæ dicitur, servit hoc illustrandæ gloriæ & maiestati ipsius, quam etiam quæ Homo per unionem cum λόγῳ hypostatice, & sessionem ad dextram potentia Dei accepit. Caput enim est non solum, quæ Deus: verum etiam quæ

Homo,

Homo. Humanitatis namq; respectu est ad Ecclesiam suam sub capitis & corporis analogia proportionabilis, ob communionem Naturæ. Proinde quia salutem confert corpori suo etiam quâ homo: viq; diuina quoq; ἐνέργεια viuificationis non in acquisitione tantû salutis (qua ante mille quingentos annos & amplius est facta) sed etiam in applicatione, qua fit quotidie, congruere Christo assumpta carnis ratione necesse est. De quo fusè & prolixè disputatum capite primo.

Sextus. Si Christus est caput Ecclesie sue: sequitur Papam Romanum caput Ecclesie non esse dicendum, nisi Ecclesiam velimus habere bicipitem & monstrum similem. Quam doctrinam ex professo tractauimus in locis primi capitis.

Septimus. De obedientia vxorum erga maritos, quæ non est prorsus indeterminata, sed determinata. In omnibus quidem mos gerendus maritis, quæ obedientiam, quam Deo debent fœmina, non conuulsi. Si verò quid præcipiatur à pietate alienum: DEO, non hominibus obtemperandum sibi ducant, actor. 5.

Octauus. Simul autem Spiritus sanctus viro hanc necessariam doctrinam commendare voluit, ne quid requirant ab vxoribus, quod à pietate sit alienum. Si enim, vt verba sonant, mulier subiecta debet esse viro in omnibus: certè ea omnia sic quoq; comparata sint oportet, vt obedientia nihil à Dei verbo dissideat.

AD EPHESIOS
TERTIA PARS.

Admonitio est ad viros instituta, cuius Propositio est hac: Viri diligite vxores vestras. Dilectionis nomine non amorem insanum, sed sobrium ac sincerum affectum maritalem viris commendat. Audiamus autem quibus pugnet argumentis Apostolus ad hanc virtutem maritis persuadendam.

Primum sumitur ab exemplo Christi: Sicut & Christus dilexit Ecclesiam suam. Quem amorem Christi in Ecclesiam amplificat, & amplificationem ad scopum suum dirigit, vt ineffabili amore Christi penitus inspecto, mariti exemplum eius enixe imitentur. Quomodo ergo dilexit Ecclesiam suam Christus? Et quibus modis testificatum id fecit? Primum semetipsum exposuit pro ea, tradendo se in mortem crucis, vt moriendo eam viuificaret, & à peccatis atq; morte redimeret. Sicut finem hunc exprimit: Vt sanctificaret illam seu purificaret suo sanguine à peccatis, quibus horribiliter erat coram Deo deformata. Instrumenti quoq; meminit, quo illam à sordibus peccatorum abluerit: mundatum lauacro aquæ per verbum. Virtutem enim passionis & mortis suæ applicari facit Ecclesiæ, mediante baptismo, quem lauacrum aqua dicit, quia elemento aquæ constat. Quæ iam non vulgaris aqua est, sed ad diuinum vsum segregata, & verbo institutionis inclusa, ideoq; in organum regenerationis à Deo ipso destinata & consecrata. Idcirco non solum aqua facit mentionem, sed & verbi

verbi

verbi scilicet, quo Christus baptismum instituit, mandans baptizari homines in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti.

Ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam, &c.] Est & hoc insigne documentum dilectionis Christi, qua suam complexus est Ecclesiam: quod non solum a sordibus originalis iniustitie actualiumq; peccatorum illam probe mundari curauit, sed insuper illam sibi ipsi parat & sistit gloriosam sponsam, omnium cœlestium bonorum consortem atq; sociam.

Non habentem maculam aut rugam &c.] Talem sibi exornat & apparat sponsam, ut sanguine Christi lota, & regenerationis lauacro perpurgata nullam iam habeat peccatorum maculam vel rugam. Quod non de inharente perfectione in hoc seculo, est accipiendum, ut Suenkseldiani & Anabaptistæ locum hunc glossis suis deprauant: sed iungit Paulus vno complexu totum beneficium Christi, quatenus id non solum respectu huius, verum etiam ratione alterius seculi consideratur, hoc sensu: In hac quidem vita Christus Ecclesiam donat & per fidem induit ornatu iustitie sue. Qua sic ei imputatâ, absterse iam sunt omnes macule, remissa peccata, coniecta ruga & naui infirmitatum in carne adhuc reliquarum, ut ad condemnationem eæ non impurentur. Post hanc vitam autem, sublato è natura radicitus peccato, fulgebit Ecclesia æternæ iustitiæ per CHRISTVM reducta splendore, seu sponsa adornata sponso suo.

Atq;

Atq; sic reddit illam Christus in hac vita sanctam & irreprehensibilem, dum id, quod reprehendi poterat per & propter ipsius meritum condonatur & remittitur. In vita altera verò per iustitiam sanctitatemq; omni modo perfectam, ipsiq; Natura inhaerentem, exhibebit Ecclesiam sine omnibus peccatorum nevis atq; sordibus sponsam gloriosissimam. Vbi non indigebit amplius imputatione illa iustitia Christi per fidem, qua peccata tegantur: sed tum re ipsa possidebit id, quod per Messia obedientiam quasitum & impetratum est. Atque sic **FRUCTVS** iustitia in hoc seculo imputata, durabit in omnem eternitatem: etiam si illa fidei imputatio defitura sit: & in huius locum successura iustitia sempiterna, inhaerens insinuat a Natura electorū, tanquam perpetuus fructus obedientiae Christi. Et haec tenus quidem amplificauit amores sanctissimos castissimosq; Christi erga Ecclesiam vnice dilectam. Id verò ad institutum transfert, quod viri pariter suas uxores diligere debeant. Quando verò adijcit: Vt tua ipsorum corpora] Non tam modum dilectionis indicat (debere scilicet eam esse sincerissimam) quàm noua ratione maritorum animos haud raro in uxores iniquos, duos & inhumanos expugnare nititur. Argumentū Apostoli sic habet: Quisq; libenter & ex animo diligit seipsum. At verò qui uxore diligit, is diligit seipsum. Ergo par est, vt tanquam carnem suam mariti complectantur uxores. Maior autē propositio antithesi illustratur à Paulo. Nemo, inquit, suam ipsius carnem odio habuit vnquam,

vnquam (nisi fuerit emotæ mentis, vt ex furore in propria fauisset viscera) imò, inquit, enutrit potius ac fouet eam. Quapropter si quisq; erga corpus seu carnem suam hunc in modum affectus est: idem amor in vxorē debet concipi. Nam hac est caro de carne viri, vt historia creationis Eue demonstrat. Semper autem immiscet & vrget Apostolus Christi exemplum, quem scribit fouere suam Ecclesiam, quæ ex Christo ceu capite suo vitalem succum haurit. Quoniam membra sumus corporis eiusdē, ex carne eius & ex ossibus eius. Quandoquidem non modò frater noster est factus, sed etiam per & propter vnionis personalis dispensationem, per & propter opus redemptionis, nec non per exaltationem super omnia, constitutus est caput nostrum, Natura communionē nobis cōsubstantialē (siquidem sumus caro ex carne ipsius, & os de ossibus illius) Maiestatis verdē excellentia nos, sua membra, inenarrabiliter antecellens. Huius rei gratia relinquet homo patrem, &c.] Alio argumento vtitur, petito à testimonio scripturæ. Extat enim hac sententia, Genes. 2. & tribuitur ibi Adæ loquentis: tamen si Christus, Matth. 19. tribuat illam Deo: siquidem distante Spiritu sancto Adamus hac protulit, ideoq; referre ad Deum Spiritum sanctum ceu primum illorum autorem inspirantem hæc Adamo, referuntur. Quorum sensus est hic: Tantus esse debet inter coniuges amor, vt familiaris & arctius sibi mutud adhareant, quàm parentibus suis. Ideoq; relinquet homo Pa-

trēm

trem & matrem] non quod vnquam vel amor vel obedientia erga parentes quarto precepto liberis iniuncta cessare debeat, sed relinquet, egrediendo quasi ex paternis adibus, & nouam constituendo familiam cum vxore sua, cui per vniuersam vitam insolubili vinculo societatis intima adhaerebit, atq; sic è duobus fiet caro vna.

Mysterium hoc magnum est, &c.] Hæc verba referuntur non ad coniugium mariti & vxoris (sicut Pontificij Sacramenti vocem loco mysterij in veteri translatione positam arripientes, coniugiū inter Sacramenta retulerunt) Paulus enim dicit idē se explicat, addens: Verum ego loquor de Christo, & de Ecclesia. Quasi dicat apostolus: Christi & Ecclesie coniunctio spiritualis illa, magnū mysterium est, transcendens captum humana rationis, quod æternus Dei Filius non dubitat tam arctē cum miserrimo humano genere se coniungere: vt in intimam societatem illud intromittat.

Quanquam & vos singulim, &c.] Etsi mysterium illud, cuius memini, ad Christum & Ecclesiam pertinet: tamen decet vos idem præstare in vestro genere, in vestro coniugio, vt quisq; maritus ad exemplum Christi suam vxorem diligat tanquam seipsum, veluti modò expositum est: vicissim vxor quævis ad exemplum Ecclesie reuereatur virum suum, debitamque illi reuerentiam & subiectionem præstet.

CAPVT V.
LOCI COMMVNES.

447

Primus locus ad scopum textus principaliter spectans, est de officio virorum erga suas coniuges. Hoc Apostolus vnico dilectionis nomine est complexus. Sunt haud raro viri duro & implacabili ingenio erga suas coniuges. Sunt, vt Ecclesiasticus eos perstringit, Syr. 4. tanquam leo in domo sua: idg, ex Satana instinctu, qui hoc modo coniugum animos distrahere nititur, vt preces coniugum interturbet, alijsq, malis grauioribus viam sternat, latamque fenestram aperiat. Tales mariti erant tempore Malachia non pauci inter Iudeos. Ideoq, seueriter illos Dominus obiurgat, ostendens, vniuersa illorum sacrificia lachrymis vxorum perturbatarum sic pollui, vt ea importunis maritis in peccatum & abominationem conuertantur. Hinc D. Petrus idem argumenti genus tractans grauius hortatur viros, vt cohabitent secundum scientiam, velut infirmiori vasi muliebri impatiētes honorem, eo quod vxores etiam sint coheredes gratiae vitae, ne preces virorum simul & mulierum interrumpantur. Resistant ergo mariti conatibus Diaboli, & SPIRITVS SANCTI regulam perpetuo in conspectu habeant, vt suae vxores sincere diligant, sicut & CHRISTVS dilexerit Ecclesiam suam. Recordentur, esse virum & sceminam carnem vnā: ideo ne sit vir animo distractus à coniuge, cum qua in corporis siue carnis vnitatem venit. Neque amorem soli coniugi debitum transferat ad alias.

1. Pet. 3.

ad alias, sed latetur cum muliere adolescentie sue, & sit ei ceu cerua charissima, & hinnulus gratissimus, & inebrietur ipsius concessio legitimoq; amore coniugali, nec amplexus quærat aliena. Sicut Prouerb. 2. 5. & 6. Spiritus sanctus grauissimas hac de re conciones instituit.

Secundus. De spiritali coniugio & nuptijs Domini nostri Iesu Christi cum electa sponsa sua Ecclesia. Quas mysticas nuptias Paulus ex spiritu sancto graphice hic descripsit. Nam primò meminit, quem sanctum & ineffabilem amorem erga Ecclesiam conceperit, Filius Dei, cum eam ambire veller sponsam. Etenim cum captiua teneretur sub imperio Satana, quod per spirituale adulterium, transgressionem præcepti à Deo descinisset in Paradiso: Christus nihilominus ex infinita sua misericordia denuò nuptias illius ambire cepit. Et quanquam horribiliter erat deformata peccatis, ac ceu spiritali lepra sic penitus perfusa, vt nihil in ea relinqueretur sanum à vertice capitis vsq; ad plantam pedis: tamen hic æterni Regis filius immensa dilectione seipsum pro illa exponere, & vel sanguine suo redimere non dubitauit. Purgatam igitur à sordibus peccatorum in coniugij societatem ascituit, desponsans illam sibi in fide, iustitia & misericordia. Hanc fouet, hanc compectitur, hanc æternum beare & saluare, hanc consortem suæ gloriæ facere constituit, introducturus aliquando eam in magno illo die in æterna sua palatia. Et beati omnes illi, qui ad Cœnam nuptiarum agni vocati sunt.

De quo mysterio, vt Paulus vocat, Psalmo 45. in Canticco Canticorum, & Esaia 54. & 62. multa leguntur cum summa consolatione coniuncta, in primis verd dulcissima illa promissiones, quod nunquam in eternum eius curam abiecturus sit Christus Dominus, quia fœdere sibi ascuerit, quod non moueatur aut dissipetur, Esa. 54.

Tertius. Quoniam Christus Ecclesiæ sponsus hic predicatur: apparet, Papam pro sponso Ecclesiæ vniuersalis neutiquam esse agnoscendum, sicuti quidem haberi & saluari gaudet. Sed nec impuris illis sacrificiis hanc tribuendam laudem. Qui ne cogantur admittere coniugium, ministrorum Ecclesiæ his Apostoli verbis concessum & approbatum: Episcopus sit vnius vxoris maritus: Antichristianam hanc glossam assuere Paulino textui haud sunt veriti, vt Episcopum vnius vxoris, id est, vnius Ecclesiæ, maritum dici nugarentur. At verd nec vniuersalis Ecclesiæ, nec vlla particularis vllum alium agnoscit sponsum vel maritum, præter solum Dominum nostrum Iesum Christum. Sicut scriptum est, 2. Cor. 11. Adiunxi vos vni viro, vt virginem castam exhiberetis Christo. Ioannes Baptista cū discipulis suis explicare vellet, non se, sed Iesum Nazarenum esse verum Messiam, respondet: Qui habet sponsam, sponsus Ioan. 3. est: Innuens, idem esse prorsus, esse Messiam, & esse sponsum Ecclesiæ. Idcirco sponsi nomen sibi usurpare non audet, sed innuit, ei soli competere, qui sponsam Ecclesiæ sanguine suo meratus sit. Ergo vera Ec-

Ff

clesiæ

clesia agnoscat Christum solum sponsum, nec adheret alteri. Ecclesia Romana verò, quia Papam pro sponso recipit, ipso facto declarat, se per spirituale adulterium desinisse à Christo, & esse meretricem magnam illam, qua cū Romano Pontifice, Antichristo, fornicata, de vino prostitutionis suæ Reges terra inebriauerit, Apoc. 17.

Quartus, Quid de Baptismo sit sentiendum, videlicet esse illum non signum tantum, sed verè ὄψαυον & lauacrū regenerationis. Paulus enim ait, Christum Ecclesiā suā mundare lauacro aqua per verbum. Hæc quippe vim habet ex verbo institutionis Christi. Hinc ad Tit. 3. Titū scribens, baptismū regenerationis & renouationis Spiritus sancti lauacrū desinit. Idg, ex ipsius Christi assertione, qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnū cælorum, Ioan. 3.

Quintus. Argumentum firmissimū pro stabiliendo pedobaptismo suppeditat nobis textus enarratus. Nam quia Christus scribitur mundare Ecclesiam suam lauacro aqua: certè si infantes Ecclesia membra sunt, lauacro aqua mundeantur necesse est. Ecclesia enim voce vniuersam suam Ecclesiam, quæ Sponsa Christi nomen per gratiam acquirit, intelligit. Quod si lauacro aqua non mudentur infantes, quomodo huius Ecclesia, sponsa Christi, lauacro regenerationis perpurgetur, mēbra erit? Et quidē non minus infantes sint immūdi, vt mundari indigeant. Siquidē quod ex carne natū est, caro est. Palam ergo fit, indigere eos lauacro. Hinc Christus vniuersali sententia omnes homines cōplexus testatur: Nisi quis renatus

venatus fuerit ex aqua & Spiritu, non posse illum ingredi regnum celorum: quia quicquid ex carne natum est, sit caro.

Sextus. De sanctitate Ecclesia. Quæ nō est posita in propria puritate, aliās nō egeret sanctificatione seu purificatione. Sed cōsistit in imputata sanctitate sponsi & saluatoris Christi. induitur quippe per fidem obedientia Christi, qua teguntur omnia peccata, vt, quem admodū scriptū est, nulla iā sit cōdemnatio his, qui sunt in Christo Iesu Domino nostro. Ac simul donatur Spiritu sancto, qui mortificat veterem hominem, & expurgat indies peccatorum reliquias. ac tandē in vita æterna Christus plene illam sibi sistet gloriosam. atq; sic in perpurganda illa gradibus procedit: de quibus & Rom. 8. legitur: Quos prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit hos iustificauit, quos iustificauit, hos glorificabit. Itaq; in vita æterna demum erit omnibus numeris absoluta Ecclesia Christi puritas, quæ in hac vita suos habet nauos, et si propter Christū non imputentur ad damnationē. Proinde nihil proficiunt Anabaptista, qui sub prætextu huius sentētiæ Paulinæ nostras Ecclesias ob offēdicula in ea damnant, quia scilicet Ecclesia debeat esse etiā in hac vita sine offēdiculis. Quæ fanatica interpretatio seu deprauatio Paulini textus si locū haberet, Corinthiorū certē Ecclesia nō fuisset vera Ecclesia, propter multiplicia scandala, quæ in ea reprehendit Apostolus. Necessariō igitur statuendū, imputatione in hac vita esse sanctam Ecclesiā, & nouit atē vitæ in qua ambulat.

Ef a esse

esse duntaxat inchoatam, in altero verò seculo plene perficiendam.

Septimus. De veritate humana Natura in Christo, cuius indubium argumentum est, quod de carne & ossibus illius esse dicimur. Quod verum esse non posset, si carnem suā cœlitus attulisset λόγος, vt Valentiniani senserūt: aut phantasticū habuisset corpus, vt Marcionita non sine grandi blasphemia docuerūt. Itaq; quemadmodum pueri seu fratres ipsius commercium habent cum carne & sanguine: ita & ipse similiter particeps est eorundem. Maiestate verò & gloria transcendit Humana in Christo Natura non tantum nostram naturam, verum etiam suam propriam mensuram excessit, vt Cyrillus tradit, & in conditionem assumentis eam per gratiam transiit a est, vnita scilicet Deo Verbo & ad dextram virtutis Maiestatisq; Dei euecta, singulari priuilegio, quod nec angelis obtrigit, Hebr. 1.

Octauus. Eadem verba reseliūt Flaccianos, qui diuersæ speciei carnem Christi esse delirant, vt nostra quidem caro ratione substantia sit peccatum ipsum, Christi autem caro substantia ratione sit iusticia ipsa. Sic autem nos caro de ipsius carne haudquaquam essemus. Sic nō esset nobis ratione humana Natura ὁμοῦσι & seu consubstantialis, quia nō assumpisset carnem nostram, cum peccatum non assumpserit. Hac autē quia profana & impia paradoxa sunt: necesse est, vt Christū dicamus ratione substantia esse carnem de carne nostra. Atq; sic conficietur, quod aliud sit caro nostra, secundum quam nobis

nobis factus est similis, aliud verò peccatū in carne habi-
tans, secundum quod similis nobis factus nō est. Quem-
admodum piē & rectē canit Ecclesia: In carne nobis
similis, peccato sed dissimilis.

Nonus. Quia cōiuges dicuntur caro vna, iuxta illud
pronunciatū Adā ab Apostolo citatū: Erunt duo in car-
nevna, Christus rectē hinc diuortū in Israëlita olim
politia vsitatum abrogauit & sustulit, Matth. 19. Nam
cū Pharisei quærerent, num liceret dimittere vxorem
qualibet de causa, respondet Christus: An non legistis,
quod is, qui initio fecit hominē, masculum & feminam
fecerit eos? & dixerit: propterea deferet homo patrē &
matrem, & adglutinabitur vxori suæ, & erunt duo in
carnem vnā? Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro.
Et infert: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Decimus. Stoliditas Pontificiorum refellitur,
qui propter sacramenti voculam incommode ab inter-
prete veteri positam (cum in græco sit *μυστήριον* voca-
bulum) auxerunt numerum Sacramentorum, & con-
iugium inter Sacramenta retulerunt. Sed & opinio
hæc falso fundamento nititur, videlicet versione praua:
Et Paulus de mysterio hîc differens, clarissimè perhibet,
sibi sermonem esse de Christo & Ecclesia. Et est obser-
uatu digna in Pontificijs pudenda inconstantia, quod
interdum quidem coniugium ita extollunt, vt etiam
inter Sacramenta numerent: interdum verò, vt in iure
Canonico, planè in lutum & cœnum cōculcent, & re-
giant inter ea, quæ Deo placere nequeant. Huc enim

ausus fuit Antichristus in suo iure minimè Canonica sententiam Pauli detorquere: qui in carne sunt, Deo placere non possunt: hoc est, qui in coniugio sunt, Deo placere non possunt. Quomodo ergò coniugium Sacramentum sit, si Deo probari nequeat? Sed digni sunt Papista, qui talibus pascantur nugis, cum incorruptum panem coelestem Euangelij fastidiant & respuant.

Vndecimus. Quando iuxta praescriptam à Paulo regulam, quisq; uxorem suā diligit, ut seipsum, vxor autem veneratur virum suum: verè hoc beatū coniugium est, etiam spiritus sancti laudibus concelebratū, qui hoc refert inter tria illa eximè pulchra, quae Deo & hominibus probentur, videlicet si vir & mulier in matrimonio concordēs sint. Quae concordia alleuat omnes coniugij arumnas, curas & sollicitudines, portatūq; faciliores efficit: amputat Diabolo ansam turbādi Oeconomiam, conciliat viro & mulieri auctoritatem apud liberos & domesticos, & nullam nō partem vitae humanae beatissimam tranquillioresq; reddit.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Generalem sententiā, qua monuerat, ut subditivicissim essent Ephesij, alius alij cum timore, Dignus Paulus in speciales exhortationes ad diuersorum statuum homines institutas distribuere pergit. Et sicut modò uxores & maritos